




# PALAEASTRA LATINA



## S U M M A R I U M

### GRATULATIO.

ANNUS VERGILIANUS: (T. M.<sup>a</sup> Planas).

GRAMMATICALIA: (E. Jové).

ANTE PRAESAEPEM DOMINI: (R. Ribera).

ADNOTATIONES RHETORICAE: (H. Martija).

NOVA ET VETERA: Altare. (I. González).

COMMERCIMUM EPISTULARE.

EXERCITATIONES SCHOLARES.

PER ORBEM.

BIBLIOGRAPHIA: (A. Mussoll).

RESPONSORIUM.

*In operculis:* Ludite in PALAEASTRA, pueri!

# Ludite in PALAESTRA, pueri!

## Llena de Gracia

Habiendo penetrado el ángel Gabriel a la estancia de María, la encontró sola y orando. Saludóla, llamándola *llena de gracia*, salutación de la que ninguna otra criatura se había hecho digna hasta entonces. Turbóse la casta doncella al oírle, tanto más, cuanto que al principio tuvo por un hombre al celestial mensajero, que después reconoció ser un ángel. Cuando supo de su boca que concebiría al Hijo del Altísimo: «¿Cómo puede ser eso», dijo la Santísima Virgen, si no conozco varón?» —«El Espíritu Santo, repuso el ángel, descenderá sobre tí, y la virtud del Altísimo fecundará tu seno.»

## Libros del Nuevo Testamento

Es imposible leer el nuevo Testamento (1) sin admirar el carácter (2) de verdad, de originalidad y grandeza que se descubre en el libro único, inimitable y sublime que manifiesta en sí mismo (3) que no es obra de hombres. La elevación de sus pensamientos, (4) la majestuosa simplicidad de su expresión, la novedad y pureza (5) de su doctrina, la importancia y la universalidad (6) del corto número de sus preceptos, (7) su admirable proporción (8) con la naturaleza y las necesidades del hombre, la ardiente caridad que con tanta generosidad promueve, y, en fin, el sentido misterioso y verdaderamente teológico que encierra, (9) son atributos y perfecciones (10) que no se hallan en ninguna producción (11) del espíritu humano.

(1) *Novum Testamentum legere nequeas quin.* (2) *indoles.* (3) *in se ipse.* (4) *species.* (5) *integritas.* (6) *amplitudo.* (7) *praescriptionum non ita multarum.* (8) *aequabilitas.* (9) *continet.* (10) *partes atque opportunitates.* (11) *fatus.*

## On Style

It is not easy to give a precise idea (1) of what is mean (2) by Style. The best (3) definition I can give of it is, (4) the peculiar manner (5) in which a man (6) expresses (his) conceptions by means of

language. (7) It is different from mere Language or words. The words, which an author employs may be proper and faultless, (8) and his Style may nevertheless, have (9) great faults; (10) it may be dry, or stiff or feeble, (11) or affected. Style has always some reference (12) to an author's manner of thinking. (13) It is a picture of the ideas (14) which rise in (his) mind, and of the manner in which they rise there; and hence, (15) when we are examining an author's composition, it is, in many cases, (16) extremely difficult to separate the Style from the sentiment. (17) No wonder (18) these two should be so intimately connected, (19) as Style is nothing else than that sort of expression which our thoughts most readily assume. Hence, (20) different countries have been noted for peculiarities of Style, (21) suited to their different temper and genius. (22)

(1) *explicare.* (2) *quid intellegatur* (3) *optima.* (4) *haec est.* (5) *ratio.* (6) *quis.* (7) *interprete lingua.* (8) *congruus.* (9) *laborare.* (10) *vitium.* (11) *remissus.* (12) *magnopere refert rationem.* (13) *cogitandi.* (14) *specierum* (15) *unde.* (16) *saepeissime.* (17) *sensus animi* (18) *Nihil mirum.* (19) *si quidem.* (20) *Proinde.* (21) *modi in stilo.* (22) *pro uniuscujusque temperamento atque indole.*

## La fama

La fama es el último espíritu de las operaciones, las cuales reciben luz y hermosura de ella (2)... La adulación o la lisonja dan en vida diferentes formas a las acciones, pero la fama, libre de estas pasiones, después de la muerte da sentencias verdaderas y justas, que las confirma en el tribunal de los siglos. Bien conocen (3) algunos príncipes lo que importa (4) coronar la vida con las virtudes; pero se engañan, pensando que lo suplirán dejándolas escritas en los epitafios y representadas en las estatuas, sin advertir (5) que allí están avergonzadas (6) de acompañar en la muerte a quien no acompañaron en la vida.

(1) *flatus.* (2) *de qua participant.* (3) *Satis norunt.* (4) *quantum intersit.* (5) *non sentientes.* (6) *ibi eas pudere.*



## Palaestra Latina

### MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CRR-VERA (Lérida) - Universidad - España.

## GRATULATIO

*Novum incuntes annum MCMXXXI sociis omnibus, iisque non paucis, quos eis atque ultra Atlanticum habemus gratulationem salutemque plurimam mittimus ex animo. Jesus Christus, Aeternus Deus, Aeternique Patris Filius, qui «puer natus est nobis», «nova progenies quae caelo demissa est alto», hoc anno percurrente incoepitis lectorum ex sententia faveat, dum nos alaci animo in singulos menses eos recreare impense conabimur..*

*Cottidie plures accipimus consensionis atque studii significaciones de consilio nostro animose persequendo, quae abs dubio eo magis augebuntur quo latius serpat Commentarius noster.*

*Ne cessent igitur eundem vulgare qui sermonis Latini congaudeant triumphis, quique Matris Ecclesiae linguam quacumque patere concupiscant. Id nempe curat Summus Ecclesiae Pontifex, id Purpurati Patres, id orbis terrarum Episcopi, id denique omnes quorum est Levitas Domini proxime efformare ut digne ad altare accedant, quibuscum opus est universos Christi fideles perpetuo consentire.*

*Emmanuel Jové, C. M. F.*

*«Palaestrae Latinae» Moderator.*

## ANNUS VERGILIANUS <sup>(1)</sup>

### I

#### De Reipublicae Romanae statu generali

Urbs Roma jam ab ipsis incunabulis nobilem Albam aemulam accepit, eique prima bella indixit. In fabulosa Horatios inter et Curiatios pugna, Tullo Hostilio rege Urbis tertio, Roma super Albam primatum obtinuit. Ceterorum regum moderatio vix sane momenti est si proelia consideres, quae Ronianam extenderent libertatem. Arroganti moderamine sceleribusque iras populi promeruit Tarquinius Superbus, quem Brutus ac Collatinus, ejus vices gerentes, e throno dimoverunt; quo quidem facto, anno 244 ab U. c., Respublica constituta fuit.

Haec discrimina una cum insolito Urbis incremento bellicosos Romanorum animos vigiles reddiderunt; qui certe tanti statim adversarii ita taeterrimam experti sunt adgessionem, ut paullulum afuerit quin et perinclitae Civitatis nomen deleretur. Hic quidem inimicus Galli fuere qui, infestis signis, urbem Romam et exspolianam et incendio tradendam adcurrere; arcem vero capitolinam occupare minime valuerunt, quam aquilae Romanae fere usque ad finem strenuissime defenderunt.

Eo in tentamine Camillus militari industria Dictator creatus ab Senatu in Capitolio congregato, Romam petit, eamque tum ingreditur quando jam cum Gallis paciscebantur; ille autem pacta rescindens eos ad proelium provocat prorsusque debellat.

Postea agmen instauravit celeberrimamque Romanam «invenibilem Legionem» instituit qua re Weiss optime scripsit, «Camillum gladium acuisse qui pedetentim in ditionem suam mundum universum redigeret». Ab hac tempestate ad 264 usque annum ante Chr. in quo punica bella, occidentis historiae axis, exordium habuere, Romani milites constantia et labore quibus conspiciebantur, Italia centrali primum potiti sunt, subinde, Tarento capta, meridionali ac demum septentrionali ad Alpium radices. Totius igitur Italiae dominatio anno 222 a. Chr. obtenta est, anno inquam prius quam acerbissima Poenorum ac Romanorum arma denuo confligerent.

Potissimum sane bellum, quod imperii universalis januam Romae pandit, adversus Carthaginem fuit. Poenorum Romanorumque conlilio fatalis erat futura, perpensa nationum arma conseruentium indole, propinquitate terrarum, ambitione utriusque gentis animos demulcente. Itaque ab anno 264 ad 241 a. Chr. prius bellum protrahitur.

---

(1) Conf. num. sup. p. 34.

Annorum viginti spatio alterum est tractum, ab anno scilicet 221 ad 201, cui finem inposuit inlustre ad Zamam praelium ubi Hannibal insignem cladem perpessus est. Nobilissimi in eo evaserunt ille «historiae primus homo», cui si Alexandrum Magnum contuleris, parvus erit – ut dicit Niebuhr – Hannibal, ejusque fratres Hasdrubal et Mago; ex Romanis vero praecipuus Cornelius Scipio Africanus, senior, qui cum singulari humanitate audax ardensque conjungebat ingenium, cuius triumphus ob Carthaginis stragem unus exstitit magnificus quos unquam Caesarum Civitas est contemplata.

Novissime anno 149 usque ad 146 Poeni cum armis Romanis confixerunt, cuius pugnae Carthaginis incendium exitus fuit.

Quo tempore indomitae dominabantur Carthagini aquilae Capitolinae, Romanae virtutis aderant spectatores Macedonia, Graecia et Asia. Natale Alexandri Dominatoris orbis solum ter repetitum bellum cruentavit, quorum in postremo Metellus, cognomine Macedonicus, provinciam Reipublicae constituit Macedoniam. Graecia autem, subditis jam Macedonibus, e Senatus largitate adhuc libertatem retinuit, quam tamen cito demerita est, indignationem insuper Romani populi provocans, qui illius superbiam contrivit.

Tertius Macedonici Punicique belli evolvebatur annus, cum Viriathi ductu, qui «ex venatore latro, ex latrone subito Dux atque Imperator» evaserat, surrexit Hesperia. Ille, tacita quidem opera, terror exstitit Romanorum, qui cum sicaria manu ille interfectus esset, vastata Numantia, paeninsulae Ibericae dominationem ad tempus adepti sunt.

Potentia Romanorum in omnes terrarum partes pervulgata, quam plurimae gentes eorum petiere societatem, paucis civitatibus resistentibus. Ergo orbis imperio Romanus populus potiebatur.

Verum armorum jam exercitio seposito, summis se miseriis, adeptarum victiarum fructu, paene corruptum vidi. Id autem mali incredibili quodam erga patriam amore duo Gracchi, Tiberius et Gajus, insignes tribuni nobilesque Corneliae filii cohibere adgressi sunt, tametsi Senatus odio obsistere minime potuerunt.

Itaque perniciei atque exitii germina brevi in bellis adparuerunt ab servis concitatis. Seditio in Siciliis exorta anno 135, cito omnes percucurrit Italiae terminos et ad Orientem usque pervenit. Seditiosis motu tandem debellato, acerbissimae poenae atque severissimae ab servis exactae sunt.

Duae aliae praeliorum contentiones id temporis metropoli minatae fuere: Jugurthana scilicet ac Cimbrorum Teutonumque. Prima anno 109 impetu vehementi Jugurthae inlata, optato exitu finivit cum Bocchus circa annum 107 vel 106, animi firmitate nec non calli-

da comitate motus Sullae, Marii legati, indomitum Jugurtham victori tradidit.

In acerrima posthac pugna Cimbri Teutonesque conligati arma Romanorum adeo contriverant (circiter enim 80.000 morti dediderunt) ut ingens terror totam Urbem invaderet. Illi tandem scientiae belli rerumque civilium maxime perito se Mario subjicere debuerunt, qui apud Vercellas et Aquas Sextias maximis et periculosissimis proeliis eos profligavit ingentique strage concidit, unde nomen Mario factum est «tertio Romulo, Urbis conditori».

Hae vero pugnae, ea praesertim quam liceat «pluricephalam» appellare, Mithridatis Regis Ponti, Romanae Urbis hostis acerbissimi, inter Marium et Sullam aemulationem excitarunt, quae tristi demolitione universam Italianam pervastavit. Re quidem vera cum Sulla contra Mithridatem erat profectus, Marius, qui etsi proscriptus incolumis evaserat, infeste occupat Urbem et caede nequissima Sullae familiares amicosque condemnat. Ille vero equis velisque Asia decedens, ingentem exercitum in Romam dicit eamque in ditionem suam redigit, et brevi tempore, nempe trium annorum spatio, quo Reipublicae praefuit, 100.000 civium insigni praeditorum nobilitate ad mortem deduci jussit.

Post tantam praesidisi inmanitatem concissa Respublica atque extincta videbatur; neque ideo mirandum quod novam constituere Rempublicam in Hispaniis, quo morte multatus a Sulla confugerat, adgressus fuisset Sertorius.

Tunc autem temporis Gn. Pompeji Magni nomen admiracionem civium atque studia excitabat. In eo igitur Reipublicae bene gerendae spes magna constituebatur, ut poste belli rerumque civilium peritissimo. Is in Hispaniam profectus superior praelio in Sertorium discessit; in patriam autem revertens opem tulit auxiliumque Crasso, qui seditionis Sparthaciae motus compressit atque extinxit.

Qui duo fortissimi viri, Pompejus nempe et Crassus, insignem ferentes lauream, triumpho in Capitolium fuerunt inventi consulesque ad annum insequentem (70 a. C.) designati.

Atque ita ad praecipuum nostrae intentionis scopum pervenimus, eo namque tempore vita donatus est inmortalis Romani Carminis auctor: PUBLIUS VERGILIUS MARO.

THOMAS M.<sup>a</sup> PLANAS, C. M. F.

Cervariae.

# GRAMMATICALIA

## Locus ubi(nam)?

INTERROGAT MAGISTER: *Ubi  
(nam) eras, puer?*

REGULAE

1. In schola; in Tusculano; in Hispania.
2. Barcinone; Burgis (*Burgi, orum*); ruri.
3. Cervariae; Matriti; Vici, in urbe Levitica (*en Vich, la ciudad livítica*).
4. Domi; domi meae; in domo mea; domi Petri, in domo Petri.
5. Apud te, apud tuos; apud Petrum.
6. Ad fontem; ad dexteram; ad laevam: ad latus.
7. Apud vel juxta vel prope plateam; super aut subter pontem; cis vel citra aut trans flumen; circa vel propter aut contra puteum; intra aut extra urbem; infra aut supra mensam; ante aut post vel pone fores.
8. Coram te; sub scalis.

1. Universim ponitur in abl. cum *in*.
2. Nomina oppidorum et urbium quae non flectuntur per num. sing. 1.<sup>ae</sup> et 2.<sup>ae</sup> declinationis ponuntur in abl. sine praepositione, quibus accedit *rus*.
3. Nomina oppidorum et urbium quae flectuntur per num. sing. 1.<sup>ae</sup> et 2.<sup>ae</sup> declinationis ponuntur in genitivo, quibus accedit *domus* sine adposito adjektivo aut genitivo.
4. *Domus*, cum adposito adjektivo possessivo aut genitivo, praeter genitivum admittit regulam communem.
5. Domus sufficitur saepe praepositione *apud* et herum domi.
6. Proximitas loci exprimitur praep. *ad* et *accus*.
7. Varia adjuncta loci variis praepositionibus exprimuntur ferre cum acusativo.
8. Aliqua adjuncta loci in abl. cum praepositionibus etiam *coram* et *sub*.

E. JOVÉ, C. M. F.

## Ante praesaepem Domini

*Fronte cur caelum rutilat serena  
noctis obfusas tenebras repellens,  
limpidae et stellae magis emicanti  
luce coruscant?*

*Quî docet silvas resonare opacas  
aureae linguae modulis aëdon  
rhythmicum fundens melos atque a-  
carmina veris? [moena]*

*Frigus abscessit gelidi Decembri,  
caelicas hymnus recinit per auras,  
nuntians pacem, Triadique Sanctae  
gloriam in Altis.*

*Quidve naturam removet novatam,  
vesteque exornat viridi obrigentem?  
Ecce decantat chorus Angelorum  
verba per axem;*

*«Natus est vestri generis Redemptor  
quemque venturum cecinere vates:  
Bethlehem pannis miseris opertum  
invenietis».*

*Dulcis, o Jesu, benedicte fructus  
Cordis intacti Genetricis almae,  
Te Deum verum gremio Mariae  
novimus omnes.*

*Editus semper Genitoris ore,  
cujus et splendor, quoque vera Imago,  
indui nostrae voluisti inermis  
carnis amictu.*

*Cujus attactu digitii sublimes  
fumigant montes, trepidantque ab imis;  
Quique decernens Sinai tonasti  
jura potenter;*

*Qui rota vectus voluisti in axe  
pulverem stellas tenuem ciere,  
carneo velo latitas catenis  
vinctus amoris.*

*Nasceris nudus, volucres decoro  
tegmine involvens viridesque campos;  
et Cor, o Jesu, lacrimis liquescit  
ignibus ustum,*

*Ora quae geminis nitidis inornant  
gemmeis mixtae lacrimis Mariae;  
pigora aeternae benedictionis,  
rosque supernus.*

*Hac egestatem cathedra Magister  
edoces omnes homines silenter,  
et crucem sponsas tibi tam cruentam  
foedere sancto.*

*Frigore algentem, stipula jacentem  
te videt mitem tremefactus orbis:  
gloriam Augustus tumide requirit,  
Tu cruciatus!*

*Quos homo sevit, tribuli corona  
Cor tuum pungunt? scelus heu nefan-  
dum!*

*Non aquae multae potuere Cordis  
perdere flammam.*

*Corculum Jesu, sed anhela fornax,  
spiritu exustum, Serafinque adurens,  
cur gelu duro tibi duriora  
pectoris nostra?*

*Ecce nos omnes, Domine Angelorum,  
ante adorandum stabulum venimus:  
corda, quo mundum cupis aestuare,  
igne perire.*

RAIMUNDUS RIBERA, C. M. F.

**Conmemorare vix refert, cum in re versemur notissima, quam  
impense immortalis memoriae decessor noster Leo XIII litterarum  
disciplinam, praesertim Latinarum, in clericis provehere studuerit.  
(Pius Papa XI, Motu Proprio «Litterarum Latinarum» oct. 1924.)**

# Adnotationes rhetoricae

## Tityrus

Cogitanti mihi quam sumerem materiam hisce adnotationibus aptiorem, visum est, haud in perviis aliunde rationibus, consentaneum fore aliqua Vergilii loca decerpere simplicibusque commentariis inlustrare. Cum autem Bucolica minore difficultate alumnorum mentibus sese obferant quam cetera Mantuani Vatis opera, ab eorum studio incipiemos.

Epicureorum philosophicae speculationes, quibus a juventute Vergilius operam navaverat, ardensque admiratio qua in Homerum et Pindarum, Graecorum poëtarum principes, ferebatur, non vetuere quominus primos citharae sonos ad naturae res miras dicaret concinendas. Numerosos Theocriti versus pia veneratione memoria tenebat, gloriaeque Graeci Vatis aemulus, ad Bucolica elaboranda sese contulit. Jure tamen merito dubitatur an Eclogae primae fuerint Musae Vergilianae productiones. Vergilius enim cum Romam agri recuperandi gratia petivit, non nisi per sua carmina Mecaenati commendari potuit, ut Octaviani gratiam adipisceretur, qui tunc poëtae concessit, ut quaecumque vellet scriberet, prout ipse in prima Ecloga conmemorat:

Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum

Ludere quae vellem calamo permisit agresti (1).

Quomodocumque se res habet Bucolicis inlustre sibi nomen comparavit, et optimatibus illius temporis, hominibusque litteris praestantissimis, intima familiaritate conjunctus est.

Vergilius Bucolica, Theocritum imitans et saepe exscribens, composuit. Sic duo illi pulcri versus:

Malo me Galataea petit lasciva puella,

Et fugit ad salices et se cupit ante videri,

ex idilio Theocriti quinto desumpti sunt (2). De utriusque poëtae comparatione haec habet Gellius (3): «Cum legerentur utraque simul Bucolica Theocriti et Vergili, animadvertisse reliquise Vergilium quod Graecum quidem mire quam suave est, verti autem neque debuit neque potuit. Sed enim quod substituit pro eo quod omiserat, non abest quin jucundius lepidusque sit». Et Perin (4): «Scaenas pastorales introducit (Vergilius) Graeco deteriores; quamquam nec elegantia formae nec lepor, nec affectuum suavitas auctoris propria desunt». Quod jam Horatius Bucolica laudans innuerat (5):

«*Molle atque facetum*

Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camoenaæ».

Immo Donatus in vita Vergilii scribit: «Bucolica eo succeso edidit ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur». Quae cum ita sint, peregrina videtur quorumdam criticorum opinio, adserentium Vergilium in Eclogis infelicititer se gessisse. Hoc aliquam veri speciem habet, si Bucolica cum Georgicis aut Aeneide conferre velimus; haec vero comparatio fundamento destituitur, cum Bucolica aliaque Vergilii poëmata ad diversum genus pertineant.


At de his satis superque dictum.

H. MARTIJA. C. M. F.

(Sequemur)

(1) Opinamus cum **Ruae Tityrum** primum Bucolicon esse ordine chronologico, quod negant Mr. Desauviers, et **Cartault Etude sur les Bucoliques de Virgile**, éd. II, Paris, 1897.—(2) Cf. **Scaliger, Poëticas**, I. V. c. 5. Edictio V.—(3) **Noct. Att.** I. IX. 9.—(4) **Onomast.** art. Verg.—(5) Sat. I. I. X. 45.

## NOVA ET VETERA ALTARE



Altare est templi christiani pars potissima ubi sanctissimum Missae Sacrificium obfertur Deo et divinissimum sacramentum Eucharistiae reservatur. Ab apostolicis usque temporibus altaria exstiterunt in liturgia ecclesiastica, quae tamen aetatum successivarum naturae obtemperantia, diversas formas induerunt. Primaeva sane Christianismi aetate, altaria ex ligneis tabulis, nulla fere ornatū adhibita cura exstruebantur. Deinde, persecutione religiosa premente, martyrum sepultra vices altarium in imis catacumbis plurimos annos gesserunt.

A pace vero Constantiniiana et magnificentissime aedificari et picturis imaginibusque abunde exornari altaria sunt coepta. Ligneis vel metallicis bratteis pulcre caelatis altarium latera concinnabantur, quo ex usu antipendia seu frontalia hodierna sumpserunt originem. Nonnullis in basilicis sumptuosioribus, tentorio quattuor innixo columnis altare obducebatur. In singulis Ecclesiis unum antiquitus erat altare; hodie tamen ob Ministrorum sacrorum frequentiam esse plures conceditur. Altaria sunt fixa seu immobilia, et mobilia seu gestatoria. Pars Altaris praecipua sacrum Tabernaculum est et ara super quam stricte Missae Sacrificium obfertur.

**Vocabularium**

1 alfombra	<i>tapes</i>	18 frontal	+ <i>frontale</i>
2 altar	<i>altare</i>	19 grada	<i>gradus, (uum)</i>
3 atril	+ <i>pluteus</i>	20 hijuela	+ <i>pallula</i>
4 bandeja	<i>catinus</i>	21 mantel	<i>mantile</i>
5 cáliz	<i>calix</i>	22 misal	<i>missale</i>
6 campanilla	<i>campanula</i>	23 palia	+ <i>palla</i>
7 candelero	<i>candelabrum</i>	24 palmatoria	<i>palmatoria</i>
8 columna	<i>columna</i>	25 patena	<i>patena</i>
9 conopeo	<i>conopeum</i>	26 peana	<i>subpedaneum</i>
10 copón	<i>ciborium</i>	27 pixis	<i>pyxis</i>
11 cornijal	<i>linteolum</i>	28 purificador	* <i>purificatorium</i>
12 corporales	+ <i>corporalia</i>	29 registro	+ <i>regestum</i>
13 credencia	+ <i>abacus</i>	30 sacras	<i>tabellae</i>
14 cruz	<i>crux</i>	31 sagrario	<i>tabernaculum</i>
15 cubrecálib	+ <i>supparum</i>	32 vela	<i>cereum;</i>
16 cubrecopón	+ <i>suppariolum</i>	33 vinajeras	<i>urceoli</i>
17 cucharilla	<i>cocleare</i>		

**Elementa templorum**

ábside	<i>absis</i>	intercolumnio	<i>intercolumnium</i>
ambón	<i>ambo</i>	linterna	<i>lanterna</i>
ándito	<i>ambulacrum</i>	luneto	+ <i>lunula</i>
arco	<i>arcus</i>	ménsula	<i>mensula</i>
atrio	<i>atrium</i>	nave	+ <i>navis</i>
balaústrada	+ <i>pluteum</i>	parástade	<i>parastas, (adis)</i>
baptisterio	<i>baptisterium</i>	pavimento	<i>pavimentum</i>
barandilla	<i>clatri, (orum)</i>	peristilo	<i>peristylum</i>
bóveda	<i>fornix</i>	pila	<i>amula</i>
camarín	<i>sacellum</i>	pilastra	<i>pila</i>
campanario	<i>campanarium</i>	pináculo	<i>pinnaculum</i>
cancel	<i>cancellus</i>	pórtico	<i>porticus</i>
capilla	<i>capella</i>	presbiterio	<i>presbyterium</i>
celosía	<i>transenna</i>	propileo	<i>vestibulum</i>
cimborio	+ <i>cimborium</i>	puerta	<i>fores</i>
claustro	<i>claustum</i>	púlpito	<i>subgestus, (us)</i>
comulgatorio	* <i>communicatorium</i>	retablo	* <i>retabulum</i>
coro	<i>chorus</i>	rotonda	* <i>rotunda</i>
cripta	<i>crypta</i>	sacristía	<i>secretarium</i>
crucero	+ <i>decussis</i>	tabique	<i>intergeries</i>
cúpula	<i>tholus</i>	techumbre	<i>tectum</i>
chapitel	<i>capitellum</i>	torre	<i>turris</i>
escalera	<i>scalae</i>	tribuna	<i>pulpitum</i>
fachada	<i>frons</i>	vidriera	<i>vitrarium</i>
hornacina	<i>loculamentum</i>		

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

## Commercium Epistulare

*Andreas Avenarius S. V. D. Emmanuel Jovaeo C. M. F.*

«Multis ille bonis flebilis occidit  
Nulli flebilior quam tibi.»

Haec poëtae verba post lectum in PALAESTRA nuntium ultro subierunt. Utinam saltem, quod diu volueram, amico scripsisse! Sed nunc nihil relinquitur, nisi ut assiduam eius in sacro cottidiano memoriam faciamus, quod ne obliviscar monet imago viti, quam ante sex fere annos, cum Vici tu quoque eras, ad me dedit. Det Deus sacerdoti suo perpetuae gaudia vitae! Quis nostrum superiore anno suspicatus est tam propinquum esse finem amicil Et quod illi accidit, cui nostrum hoc ipso aut proximo anno eventurum non esse certum et exploratum est?...

Sed casus amici non una causa est, cur has lineas ad te pangere statuerim. Primum tibi gratulanda duxeram felicia initia Palaestrae. Opus magnum suscepisti et plenum laboris, sed dignum inmortalitate. Monstravi primos fasciculos his discipulis, ex quibus unus statim emendam Palaestram censuit, et jam accepit. Et si folia commendaticia illa rursus inmiseris, ego habeo quo mittam, in alias Societatis nostre domos et vel in seminarium Shantungiae meridianae, quibus commentarius Latinus gratus erit.

Sed quod principio faciendum erat, tibi gratias ago, quod ad me ipsum velut ad emptorem ultro fructum industriae misisti tuae, et, si nondum adparet, tamen spero me aliquando effecturum, ut omnes, in quorum manus haec folia inciderint, intellegant non emortuum esse genus eorum, qui linguam Latinam non modo in aliis laudent aut mirentur, sed in se ipsi ostendant, quid amantem Ecclesiae praestare necesse sit.

At scin, quid mihi jam in mentem venerit? Percurri nuper selecta opuscula Mureti illius clarissimi humanistae, quaedam etiam Baldeana gustavi. Tum cogitare coepi, quantum ornamenti, quantum luminis ad Latinum commentarium accessum esset, si illorum virorum lucubrationes ex suis tenebris, ex bibliothecis majoribus, in medium proferrentur. Quis novit quae Bembus, quae Valla, quae nescio qui alii scripserunt. Talium hominum exposuisse specimina per mihi videtur utile opus. Sed cave hic cogites: Agedum! ipse adfer tales in PALAESTRAM pennas. Qui id ego faciam longe a bibliothecariis thesauris remotus? Hoc vestrorum, mihi crede, operum est.

Antequam finem facio, tibi et discipulis tuis felicia festa Christi Nati precor et omnia fausta fortunataque in novum annum. Vale.

Ex Aquis Driburgensisibus in Germania.

IX Kal. Decembres.

*Emmanuel Jové, C. M. F' Andreeae Avenario S. V. D. S. P.*

Quid jam diutius rescriptionem ad binas jucundissimas tuas recrastinabo? Binas, inquam; alteras quidem quas in Alma Roma publice dedisti, alteras vero privatas quas tamen in PALAESTRA LATINA venia tua publicas faciebam. Nunc in posterioribus inmorabor dum ad priores respondendas commodius expectabo tempus, inque Italiam mittam.

De utriusque nostrum amico, nunc jam omnia nosti quae ego, Vide in mortis solacium quae mihi species in mentem subierat. Nonne in caelo cum eo latine jobabimur omnes quibus sermo ille Ecclesiae cordi est, cum certo constet nullam cui-

que sanam fore voluptatem, quin sine impletione relinquatur? Pro ejus aeterna requie interim preces effundemus.

Quid de gratulatione ob PALAESTRAM LATINAM publico apertam? Eam, mihi crede, sine haesitatione venturam esse speraram. Quasi vero humanitatem tuam non cognovissem tuumque in litteras Latinas flagrantissimum amorem. Quam ob causam maximam referre gratiam atque habere, ne vivam, nisi valuero.

De viris illis renatus tempore florentibus in PALAESTRA LATINA producendis, id quidem facere consilium erat,

Tandem felicissima vicissim festa Domini Jesu peroptabam cum arbore illa vestra natalicia, pendentibus de fronde omnis generis pastillis, quos cum discipulis tuis degustabis. Vale.

Cerveriae, 10 Decembris a. MCMXXX.

*Paulus Cañizares, C. M. F., PALAESTRAE LATINAE  
Moderatori S. P.*

En misi, carissime, compositiunculas ab alumnis meis confectas, quae etsi ad unguem non sunt politae, optimum tamen discendi studium patefaciunt atque a nobis, forsitan incuriae nota inustis quod calamos adhuc exercere neglexerimus, minime despectam Latinam consuetudinem esse.

Nos, qui comites ducesque juventutis sumus, labore, mihi crede, non paucō premimur hinc inde, ut tempus ad contendendum vix subpetat in PALAESTRA; praeter quam quod, ut videmus, doctissimis versatissimisque stilis, gladiis melius dico, ea est instructa.

Placebit aliquas ex istis in PALAESTRA editas legere et postremas nequaquam, fore, tibi polliceor, Vale.

*A. Esteban, C. M. F., Rdo. P. Paulo Cañizares, C. M. F. S. P.*

Nos quoque, Reverende Pater, haud parvo in labore, temporis egestate premimur, attamen ab opere incoepio desistere minime patiemur.

Pontificum voces, Ecclesiae catholicae decus ac nostrae Congregationis honor vires animosque nostros in dies exacuant atque ad Latinarum litterarum studium expediendum et divulgandum incitant. Hae Romanorum PP. adhortationes et jussa late in Candidati Latini pagellis prodierunt ut omnibus in promptu sint. Iterum autem haec transcribere juvat:

«Qui in litterarum ludis, spes sacri ordinis adolescunt, adcuratissime sermone Latino volumus alumnos institui. Ita jam non continget quod saepius dolemus fieri ut nostri clericci sacerdotesque, cum haud satis operae Latinarum litterarum studio dederint neglectis Patrum Doctorumque Ecclesiae voluminibus, quibus Fidei dogmata exhibentur cum dilucide proposita, tum invicte defensa idoneam sibi doctrinae copiam a recentioribus petant auctoribus in quibus fere non modo perspicuum dicendi genus et adcurata dicendi ratio solet, sed fidelis etiam dogmatum interpretatione desiderari.»

Adlata ratio, Rde. P. subficiat ut omnes tum Congregationum Regularium praeceptores et alumni, tum clericci saeculares Latinarum litterarum operam strenue suscipiamus.

Grates tibi referimus ob scriptiunculas discipulorum missas; speramus etiam tuam assiduam conlaborationem huic tam eleganti negotio quod tot tantisque causis nostram operositatem excitare debet.

Epistularum rescribendarum munus mihi sumpsi, nisi quae peculiaris calamis forte Moderatoris indigebunt.

Moderatoris autem verbis te salvere vehementer jubeo. Vale.

# EXERCITATIONES SCHOLARES

## Censorinus Palaestritis suis

Plures palaestritae nostri parum habere temporis ajunt ex uno numero ad alterum ut in harena valeant prodire. Postulant igitur ne prius seligantur ad editionem scriptiunculae, quam duplex mensis intercedat inter vernaculae propositas et earum in Latinum versionem. Morem quidem deinceps pueris geremus atque ita vel ex Americanis plagis luctatores in PALAESTRA contemplari poterimus.

**Fabula orientalis.**—Clarus vir Arabicus deambulabat rure, lancea longa armatus. Occiduo die vidit procul ante se ignem ingentem. Cum subdidisset calcaria equo pervenit festinanter ad focum, ubi invenit serpentem qui sibilabat, contendebatque ab igne se liberare. —Serpens dixit: Salva vitam meam et ego remunerabo tibi. —At timeo ne damnum mihi inferas, respondit vir. —Nihil timeas, —serpens. Cumque ligavisset homo peram ad lanceae spiculum, protendit illam serpenti qui statim intus sese inmisit, atque ita ex flammis eductus fuit. Sed mox animal reptavit per lanceam et pervenit usque ad collum liberatoris in quem se sinuavit; volens eum subfocare. Tum vir: Quid facis? —Volo te occidere. —Ecquare? —Quia malum in hac vita semper merces boni est. —Id non credo, dixit vir; sed parum exspecta ut in tribus locis consilium accipiamus. —Placet mihi, ait serpens. Itaque viam arripuere donec pervenerunt sub palam quae ventis agitabatur. Nobilis Arabs dixit illi: Vitae periculo hunc serpentem exemi et nunc ille vult me occidere, adserens malum esse semper mercedem boni. —Ita res est, inquit palma. —Cur ita? —Attendite paulisper sortem meam. Multi peregrinicotidie adveniunt sub umbra mea sessuri, ardentia solis fulmina effugientes: si famem experiuntur, manducant dactylos meos; si frigore adficiuntur, ramos meos securi detrunct ad ignem accendendum. En merces

mea. Tunc serpens collum hominis strictius compressit, et usque ad fontem viam persecuti sunt. Vir fonti sicuti palmae rem enarravit. Responditque fons: Serpens recte loquitur. Audite quod mihi accidit: Habeo claram et refrigerantem aquam. Obeuntium turbae sistunt prope, et postquam homines et animalia sitim expleverunt, deturpant vadum meum, projicientes in me sordes ciborumque reliquias. —Tunc serpens collum victimae plus adhuc compressit et viam progressi sunt. Mox viderunt vulpem citatim effugientem. —Siste pedem, inclamaverunt ad eam; parumper audi. —Libentissimo animo, dixit callida vulpes, sed a longe loquimini. —Hunc serpentem ex igne eduxi et ille vult me subfocare. —Quid ita? inquit vulpes. Salvasti hunc serpentem? Si vultis ut vos adjuvem consilio, ostendite mihi quomodo res acciderit. —Tunc Arabs ligavit peram ad mucronem lanceae et animal reptans ingressus est iterum in eam. —Nunc vulpes clamavit: claude, vir, cito os perae et fac quod vis de inimico tuo. —Clausit vir peram dixique serpenti: Malum, prout tu dicis, erit profecto merces boni, sed istud malum modo eveniet tibi. Occidit eum et ita servavit.

Aemilius LÓPEZ, C. M. P.  
Didacus BENÍTEZ, C. M. P.  
ex III Latinitatis anno.

Sti. Dominici Calceatensis.

**Exemplum fidelitatis.**—Rex Lusitaniae Dominus Sanctius duci tam fidei quam strenuo defensionem arcis cuiusdam commisisse fertur. Qui ea animi firmitate quae frangi non potuit castellum defendit; paene ad incitas redactus, cum parum absuerit quin fame absumetur, non ideo se victum fassus est. Rex interea e vita migravit, cumque dux de morte illius certior ab hoste fieret: «Insidiae sunt quas mihi molimini, ait; id non credo». Concessum est ei ut usque ad metropolim veniret, ut oculis suis feretrum regis videret. Quod illi cum patefacerent miles fidelis nimis certam notitiam esse videns, genua flexit, et in manus defuncti regis claves arcis conlocavit et suspirans: «Dum putavi, inquit, te vivere, Domine, oppidum quod a te mihi concredidum est sustinui quantum homini integrum est; nunc autem te vivens mortuum, me victimum fateor, sed tibi dumtaxat fateor me victimum, et claves in manus tuas trado». Haec est indubia fides..

Ildefonsus MONTOYA, C. M. P.

Bosae in Republica Columbiana.

**Anima quanti vales.**—Fuit adulescens septemdecim annos natus qui Shocabatur et in una ex postremis seditionibus quae in Hispania excitatae sunt Barcinone est deprehensus.

Cum esset coram Judice hic vitam ejus conservare voluit.

—Conculca Crucem—inquit ei— et virgulam argenti tibi dabo.

—Excellentissime Dux! id parum est pecuniae.

—Atqui massam auri largiar.

—Nondum satis est.

—Quomodo — respondit stupefactus iudex: nonne satis habes?

—Excellentissime Domine! si vis me crucem calcare, pecuniam mihi dato ut aliam animam emam.

—Adulescens hilaris atque contentus ad supplicium est prefectus.

Thomas CAPDEVILA,  
Cervariae.

**Hospitium honestatis.**—Quidam egenus homo emendicavit stipem a doctore Smollet, qui ex errore porrexit ei nummum aureum. Hunc cum postea inspexisset homo et intellegereret quid factum esset, reversus est ad doctorem ut nummum redderet, innuens illi esset ne forte deceptus.

Doctor mendici miratus honestatem: Ex errore, inquit, profecto contigit; de re tamen, mihi gratulor; etenim oblata est mihi occasio mirandi nobilis animi indolem». Et, cum de nummo cederet; alterum aequalem homini addidit intra se dicens:

«En quam pauper hospitium excipit honestatem».

Petrus HERNÁNDEZ.

Sancti Dominici Calceatensis.

**Felis et speculum.**—Felis suopte dolo murem miserum apprehendere nacta, dicebat ei cum derisu: callide, etiamsi pellem tuam optime servasti, captus es illecebris meis. Vafer, hodie optimus cibus meus eris ad meridiem, sed pertransiens coram speculo, creditit se aliam felem videre, murem (sicut illa) in ore ferentem, et cupiditate abstracta, insilit subito aduncis manibus arripare volens, demittensque, quem dentibus prehendebat, fregit speculum et absque ullo semi-mortua procubuit in terram.

Hanc mercedem recipiet qui bonum certum pro incerto relinquet

Petrus VILLAR.

**Ablativo comparativorum  
in i ne utare, sed semper in e;  
haec est enim forma classica  
non illa.**

**PER ORBEM**

**Fundatio «Bernat Metge» quae Barcinone in Hispania constituta est.** (Via Layetana, 30-7.º) (1).

**Opera typis mandata:**

**Aristoteles:** *De arte poética.*

**Ausonius:** *Opera, v. I, II.*

**Cato:** *De agri cultura.*

**Catullus:** *Carmina.*

**Cicero:** *Orationes, v. I; Brutus (7); De Oratore.*

**Cornelius N.:** *De excellentibus du- cibus exterarum gentium.*

**Curtius R.:** *Historia Alexandri Mag- ni Macedonis.*

**Ciprianus St.:** *Epistulae.*

**Horatius:** *Sermones.*

**Lisias:** *Orationes.*

**Lucretius:** *De rerum natura.*

**Ovidius:** *Heroides; Metamorphoses, v. I.*

**Palladius:** *Lausiaca.*

**Plato:** *Charmides, v. I, II, III; Apo- logia (Socratis).*

**Plinius secundus:** *Historia natura- lis, v. I.*

**Plinius Caecilius Sec.:** *Epistulae, v. I, II.*

**Plutarcus:** *Vitae parallelae, v. I, II, III, IV, V, X.*

**Polybius:** *Historiae, v. I, II.*

**Propercius:** *Carmina.*

**Seneca:** *Epistulae ad Lucianum; Dialogi; De ira; De consolatione; De clementia,*

**Tacitus:** *Opera minora, Ab excessu Divi Augusti.*

**Tibullus:** *Carmina.*

**Varro:** *Res rusticae.*

**Xenofons:** *Memorabilia; Oeconomi- cus.*

**Auctores:** Ea «Fundationis Ber- nat Metge» opera his aliunde notis- simis adscribuntur interpretibus: J. Es-

elrich (Moderator), J. Balcells, M. de Montoliu, C. Riba, J. M. Llovera L. Riber, C. Cardó, J. Crexelis, G. Alabart, A. Navarro, C. Magrinyá, J. Minguez, M. Oliver, F. Martorell, M. Ferrá, J. Farrán, A. Ramón, S. Galmés, A. M. Trepaut, A. M. Saave- dra, Soldevila, J. Petit, J. Vergés, J. Serra Hunter, T. Bellpuig.

**Studia Latina ab Hungarica gen- te péracta.**—Classicorum idiomatum studio impense operam per saecula dedit Hungarorum populus. Quod praecipue certum reperies, si de sermone Latino loquamur. Recordatione digni habentur viri litterati qui apud regem Mathiam Corvin et principes Transilvaniae vixerunt, haud pauci poëtae egregii atque scriptores, ut Zrinyi, Gyöngyösi, Berysenyi. Qui historiam litterarum norunt, apprime sciunt in Latinitatis observantia Hungariam primas partes inter europeas civitates obtinuisse.

Quinquagesimus est annus, ex quo «philologica Societas» civitatis Budapestensis magno opere linguas clas- sicas fovebat atque fovet. Praecipuus Latinitatis hodiernae fautor est Geyza Némethy, professor in Universitate Budapestiana. Per illustris doctor ope- raria plurima condidit, quae fere omnia circa Ovidii scripta versantur, quaedam autem de Persii satyris, de Tibullo, de Propertio, cet. Hunc se- quuntur Jozset Huszti, professor in Universitate Szeged, qui Terentio operam dedit atque Horatio. Imre Schröder et Bela Letics disserunt de influxu Propercii ac Tibulli in Ovi- dium. Anno labente 1918 Kalman En- drei edidit: «Quantopere Persius de Lucilio pendere videatur».

Anno 1924 nova lex circa institu- tionem secundariam penitus fere evulsi

(1) Vide fasc. sup.

e scholis Latinum et Graecum sermonem. Tamen in Gymnasio discitur sermo Latinus et Graecus per octo annos, ille 45 horis hebdomadariis, hic 22 horis. In regali gymnasio jam omittitur Graecus, et Latino 41 horae hebdomadariae per octo annos conceduntur. His tamen non obstantibus, «Societas philologica» cum «Commentario philologico generali» seu «Egyietemes Philologiai Közlöny», nec non «Societas amicorum Gymnasii classici» cum ephemerede «Gymnasium Hungaricum» pro virili parte student sermonem Latinum evehere. In quattuor Universitatibus et Scholis Superioribus sunt undecim cathedrae philologicae Latinae ac Graecae linguis dicatae, archaeologiae classicae duae et historiae antiquitatis tres. Memoria nostra, Institutum archaeologicum erectum est Athenis ut anterior sit Hungariam inter et classicam antiquitatem contactus.

Franc. X. SURRIBAS C. M. F.,

**Annus Vergilianus.** Annūm a Vergilio nato bis millesimum Professores et alumni Seminarii Barbastrensis non poteramus non celebrare.

Programmatis in sollemni vigilia litteraria, percurrentibus Nativitatis otiosis, explicandi praecipuos numeros conspicite: Sermo duplex de vita et ingenio Vergilii habitus est et de clarissimi Vatis operibus generaliter, neconon diserta oratio super prima ecloga quae observandi venustates in carminibus magni Poëtae rationem edocuit, dictaque est Btae. Virginis poësis tertiam Vergillii Eclogam imitata.

JESUS BARRAU, Alumnus  
*In Seminario Barbastrensi.*

**Altera Budeana excursio.**—Prima excursio ad Graeciam pro favore culturae classicae per Societatem Parisiensem «Guillaume Budé» anno superiori constituta atque ordinata, optimos quidem scientiae fructus reportavit. Ea tamen ut pluribus amicorum petitionibus satisfaciat, qui interesse nequierunt, vel in ea p̄ae ingenti peregrinorum numero minus attendi valuerunt, alteram Societas adgreditur excursionem, quae dies circiter 23 perdurabit. En tibi presse excursionis ratio; Massilia egredietur Paschate anni 1931; visitabuntur Corinthus, Acrocorinthus, Mycena; deinde Mytilena, Constantinopolis, Mudania, Brussa, mons Athos et Duo Monasteria; tum Skyros, Sira, Athenae, Delphi et redibitur Massiliam. Pretium excursionis erit circiter 6000 francorum. Quidquid ad nuntia particularia et subscriptiones pertinet, exquirere oportet a *M. Jean Malye, 95, Boulevard Raspail, Paris (6<sup>e</sup>).*

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

## Bibliographia

**L. Hermann,** *Les masques et les visages dans les Bucoliques de Virgile*, éd. de la Revue de l'Université de Bruxelles, 1930.

Hujus operis scopus in eo est ut viros a Vergilio sub personis Bucolicorum memoratos inveniat. In extrema pagella praebet auctor omnium investigationum summam: Menalcas-Vergilius, Amyntas-Tibullus, Daphnis-Catullus, Lycidas-Horatius, et ita de ceteris. Nec celebris illius «pueri» Ecl. IV obliviscitur, quem tamen levi

nixos similitudine vv. 320 sqq. poëmatis 64 Catulli et 46-47 IV Bucol. ad Cl. Marcellum, Octaviae filium, referendum existimat.

Laudanda in hoc libro logica vis ferrea et multiplex qua conspergitur eruditio historica. At vero tum conclusiones cum caput praecipuum incerta penitus evadunt.

Totum opus hoc principio dirigitur: «A chaque pseudonyme correspond un nom réel et un seul» (p. 7). Sed omnibus notum est in perscrutacionibus historicis principia ab historia, non ab historici mente profluere debere. At D. Herrmann historiam suis opinionibus non faventem rejicit (cfr. pp. 43-46, 52, 107 sqq. 165, cef.)

Veruntamen quidquid est de operis exito, liber originalitate et exacta disquisitione commendatur, iis omnibus commodus qui de philologiae classicæ progressibus inscii esse noluerint.

A. MUSSOLL C. M. F.

#### *Libri recens editi*

CICÉRON.—*De l'Orateur*. Livre troisième. Texte établi par H. Bornecque et traduit par M. M. E. Courbaud et H. Bornecque.

PERSE.—*Six Satires*.

OVIDE.—*Les Amours*. Texte établi et traduit par H. Bornecque.

OVIDE.—*Les remèdes à l'amour*. Texte établi et traduit par Bornecque.

ERASME.—*L'Eloge de la Folie*. III. par Hans Holbein..

J. M. Granero, S. J.—Stilistica Latina.

A. G. Amatucci.—Storia della Litteratura Latina Cristiana.

#### **Responsorium**

F. B. *Int:* Sunt in PALAESTRA nonnulla vocabula ita orthographice scripta ut a communi scriptorum more satis dissidere videantur, ut *inmaculatus, inprimis, conloquor, inprimi* et hujusmodi sexcenta. Nonne data opera id facitis, ut opinor, vos redactores?

*Resp:* Haud falleris, amice. Quamquam nonnulla excidunt interdum menda typographica (sunt lacrimae rerum!) plerumque consulto eo modo scripta sunt, ut jacent.

Duplex est scriptoris orthographiae ratio, utraque legitima, etymologica scilicet et phonetica. Nos etymologicam tenaciter sequimur in compositis per verborum juxtapositionem, dummodo ex alia parte pronuntiari facile queant. Non scalet orthographicis mendis commentarius noster, ut quidam male opinantur.

F. A. M. (*Palmis*) Postremas tuas accepimus. Tibi libenter obsequi curabimus.

SENEX.

#### **INPRIMI POTEST.**

Nicolaus García, C. M. F.  
Sup. Gralís.

#### **NIHIL OBSTAT**

Clemens Ramos, C. M. F.  
Censor

#### **INPRIMATUR**

Valentinus, Episc.

Typographia F. Camps Calmet. — Tarregae

www.culturaclasica.com  
Variorum Commentariorum Studia

**Revue des Études Latines.** 8.<sup>e</sup> An., fasc. II.—Abril-Juin 1930.

Compte-rendu des séances. - Chronique.

Notes et communications.

A. GUILLEMIN, L'originalité de Virgile.

L. HERRMANN, Le poème 64 de Catulle et Virgile.

A. BURGER, Deux adjetifs latins *en* - *uos*.

K. VAN DER HEYDE, L'ablatif de comparaison en latin.

ST. LYER, Le participe présent latin construit avec «esse».

Bulletin critique.

**Humanitas.** Tome V, n.<sup>o</sup> 2 (Mars-Avril 1930).

H. PHILLIPPART, Les trois éléments de l'art attique au milieu de ve siècle.

J. VAN DOOREN, Molière et les médecins.

L. GUEUNING, Les humanités en Belgique.

Comptes rendus, etc.

**The Journal of Roman Studies.** Volume XIX. Part 2, 1929.

M. CARY, Notes on the Legislation of Julius Caesar.

F. OSWALD, Bowls by Acavniissa from Birdoswald, Mainz and Cologne.

W. H. FISHER, The Augustan «Vita Aureliani».

T. B. L. WEBSTER, The Wilshere Collection at Pusey House in Oxford.

W. M. RAMSAY, Roman Garrisons and Soldiers in Asia Minor.

T. ASHBY, The Temple of Castor and Pollux in Rome.

W. F. MC DONALD, Clodius and the «Lex Aelia Fufia».

M. V. TAYLOR and R. G. COLLINGWOOD, Roman Britain in 1929.

Reviews and Discussions.

Reviews of recent Publications.

Notices.

**Rivista di Filologia e di Istruzione classica.** Anno VIII. Fasc. 2, Guigno 1930

A. MOMIGLIANO, Sul pensiero di Antifonte Sofista.

C. GALLAVOTTI, Sui «Macrobi» di Luciano.

G. PASQUALI, L'*ictus* nel verso dei Comici e la natura dell'accento latino classico.

M. MARGANI, Alcune questioni relative alla battaglia dell' Asinaro.

Miscellanea.

Recensioni, etc.

**Revista clasica.** An. VI. Tome II, n.<sup>o</sup> 1 (ian-Martie 1930).

C. PAPACOSTEA, Filosoful și literatul Platon.

N. I. HERESCU, Poetae docti.

D. M. PIPIDU, Note la cultul imperial.

Traduceri.

Cronica, etc.

# CANDIDATUS LATINUS

Internus ad Linguae Latinae  
Studium apud Scholasticos  
nostrates colendum Commentarius

---

Omnes "Candidati Latini" fasciculi qui ab inéunte  
anno 1928 usque ad 1930 privatim prodiere (12 vi-  
delicet fasciculi) pretio veneunt

**10 PESSETARUM**

Petitiones ad "Palaestrae Latinae" Administratorem

## COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS PUBLICATIO MENSILIS OPERA ET STUDIO

MISSIONARIORUM FILIORUM INMACULATI CORDIS B. MARIAE V.

---

In Italia . . . . 25 libellarum

Extra Italianam . . . . 30 "

---

DIRECTIO ET ADMINISTRATIO:

Romae (XVI), Via Giulia, 131 - Telef. 50-169